DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE HYSTERIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS GROAT,

BRITANNUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc.

Miseris succurrere disco. VIRGIL.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

GILBERTO MEASON,

ARMIGERO,

ROBERTUS GROAT

S. P. D.

Cum, vir praestantissime, mecum reputo, quanta memet meosque amicitia fueris prosecutus, praesertim quot beneficia in me arti Hippocraticae Edinburgi studentem assidue conferenda curaveris, omnibus meis commodis cura fere paterna consulens, non diu, cui hoc opusculum debeam consecrare, possum dubitare.

Nunquam forsitan opis erit meae benevolentiam adversus me adhibitam pensare; sed, quod solum possum, me nunquam ejus immemorem fore confido.

Interea omnibus, quae mortalibus per decursum hujusce vitae fragilis et laboriosae coelestis indulgentia concedit, bonis corpore et mente sanus laetusque fruaris. *VALE.*

Dabam Edinburgi
Prid. Id. Septemb.

Mr. Jeffrie
with Compliments
from The Author

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

EX omnibus morbis, quibus objicitur genus humanum, pauci, me judice, ſunt, qui ſignis aeque varii, quive curatu aeque difficiles, ac morbus quem ſum executurus.

Frequentius quolibet morbo longo invadit. Mulieres paucae eo ex toto carent.

Antiquiores exiſtimaverunt, hunc morbum ab aliquo uteri vitio proficiſci. Ab utero nomen haud dubie deducit. In hunc morbum mulieres ſaepius, quam viri, incidunt. Non ſemper vero ab utero pendere videtur; namque, cadaveribus earum, quae hoc morbo magnopere

GILBERTO MEASON,

ARMIGERO,

ROBERTUS GROAT

S. P. D.

Cum, vir praestantissime, mecum reputo, quanta memet meosque amicitia fueris prosecutus, praesertim quot beneficia in me arti Hippocraticae Edinburgi studentem assidue conferenda curaveris, omnibus meis commodis cura fere paterna consulens, non diu, cui hoc opusculum debeam consecrare, possum dubitare.

Nunquam forsitan opis erit meae benevolentiam adversus me adhibitam pensare; sed, quod solum possum, me nunquam ejus immemorem fore confido.

Interea omnibus, quae mortalibus per decursum hujusce vitae fragilis et laboriosae coelestis indulgentia concedit, bonis corpore et mente sanus laetusque fruaris. *V A L E.*

Dabam Edinburgi
Prid. Id. Septemb.

Mr. Jeffrie

with Compliments

from The Author

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

EX omnibus morbis, quibus objicitur genus humanum, pauci, me judice, ſunt, qui ſignis aeque varii, quive curatu aeque difficiles, ac morbus quem ſum executurus.

Frequentius quolibet morbo longo invadit. Mulieres paucae eo ex toto carent.

Antiquiores exiſtimaverunt, hunc morbum ab aliquo uteri vitio proficiſci. Ab utero nomen haud dubie deducit. In hunc morbum mulieres ſaepius, quam viri, incidunt. Non ſemper vero ab utero pendere videtur; namque, cadaveribus earum, quae hoc morbo magnopere

fuerunt conflictatae, incifis, uterus ex toto fanus repertus. Virgines hoc morbo faepe vacant, dum nuptae et eae etiam, quae pueros fatis facile pariunt, eo aliquando laborant *.

DEFINITIO.

Cullenus illuftriffimus definitionem hujufce morbi adeo elegantem et accuratam tradendam curavit, ut, quin eam omnibus aliis debeam anteponere, ambigere nequeam: ‘ Ventris murmura ; fenfus globi in abdomine fe volventis, ad ventriculum et fauces afcendentis, ibique ftrangulantis ; fopor, convulfiones ; urinae limpidae copia profufa ; animus, nec fponte, varius et mutabilis †.”

HISTORIA MORBI.

Antequam ullam hujufce morbi hiftoriam in medium proferre aggredior, notare conveniet, varietatem fignorum effe talem, qualis ullam ordinis in iis recenfendis rationem

* Vide Whytt on nervous diforders.

† Culleni fynop. G. LXIII.

nem haberi prohibet. Nihil aliud igitur, quam ea ſigna enumerabo, quae hunc morbum comitantur.

Paroxyſmum plerumque antecedunt, languor univerſus, debilitas; ſincipitis, temporum, vel oculorum dolor; epiphora, viſus imminutus, reſpiratio difficilis et laborioſa; alvus dura et ſumma urinam reddendi voluntas, quae ſaepiſſime limpida eſt et quantitate redundat. Membra tremunt, torpor extremorum et rigiditas adſunt, vires proſternuntur. Dolores articulorum, aliarumque corporis partium vagos, queruntur aegrotantes, potiſſimum acutum et excruciantem, occiput plerumque invadentem, qui eo, quod dolorem a clavo in caput infixo oriundum refert, *clavus hyſtericus* fuit appellatus.

Haec ſigna paroxyſmum ſolent praecedere. Quae paroxyſmum ipſum comitantur, ea nunc recenſebimus.

Signa jam comprehenſa plerumque ingraveſcunt. Ægrota borborygmos queritur, et ſoni ventris varii exaudiuntur. Dolor gravis, cui adjunguntur ſenſus frigoris et rigor, regionem lumbarem invadit. Inteſtina inflantur, et globus, quaſi in parte abdominis inferiore vel regione hypogaſtrica, percipitur, qui non in uno loco fixus manet,

ſed

ſed per totum canalem alimentarium huc illuc ſeſe volvit. Quaſi circa ſiniſtram coli curvaturam incipit. Modo ſubito, modo tarde ventriculum petit, ibi nauſeam, et aliquando vomitionem, movens. Hinc ad oeſophagum aſcendit, et ſenſum ſuffocationis deglutitionemque difficilem facit. Muſculi abdominis contorquentur. Umbilicus adeo introrſum ſpinam dorſi verſus trahitur, ut cavum non exiguum in parte abdominis anteriore oriatur.

Inſuper, ſpaſmus muſculorum ventris, et potiſſimum ſphincteris ani, adeo magnus eſt, ut nec flatus evacuari, nec fiſtula tenuiſſima, enematis immittendi cauſa, poſſit in rectum extremum admitti. Ægrotans aliquando de dolore renis et cervicis veſicae uriniferae, quaſi nephritide laboret, queritur. Subſunt frequens ſingultus, tremor, cordis palpitatio, et regio epigaſtrica univerſa multum diſtendi videtur. Accedunt ſtridor dentium, ſpiritus, non ſine periculo ſuffocationis ſubitaneae, difficilis et laborioſus. Tuſſis convulſiva nonnunquam vexat. Ictus arteriarum ſunt parvuli, duri, et aliquando abnormes. Extrema corporis frigeſcunt. Artus modo flexiles, modo rigidi et immoti. Pectus ſaepe violenter plangunt aegrotae. Nonnullae cardialgia, anxietate, et gravi vomitione, corripiuntur. Facies plerumque palleſcit, aliquando rubeſcit, et ſanguine

intumeſcit.

intumescit. Tinnitum aurium, caliginem, speciemque nebulae crassioris oculis, qui nullum vitium percipiendum habent, objectam queruntur miserandae. Oculis obversantia duplicia videntur, et odores insoliti sentiuntur. Vox languescit, et nonnunquam amittitur. Pulsus arteriarum hoc tempore vix percipi possunt. Alvus plerumque dura. Hoc morbo conflictantes infestant pervigilium, somnus turbatus, somnia formidolosa, incubus, aliquando nimia ad somnum proclivitas. Nonnunquam sensu ex toto orbantur. Aliae lachrymantur, aliae rident, et aliae, quanquam rarius hoc incidit, alternatim lachrymantur et rident. Aliis corpus totum convellitur, aliis subsultus crurum et brachiorum subitanei tantum oriuntur. Motus involuntarii musculorum colli, capitis, brachiorum, et crurum fere constantes, nonnullas afficiunt; dum aliae convulsione universa, ventriculum, intestina, guttur, extrema, et omnia fere corporis quidem membra infestante, laborant, qua, ut epilepsia gravissima, colluctantur. Tot denique sunt gestus varietates, ut nequeant enumerari; duas enim aegrotas vix unquam offendimus, quae eodem omnino modo afficiuntur. Haec sunt signa, quae paroxysmo in hysterico semet ostendunt, praecipua.

Paroxysmi

Paroxyſmi autem reditu, violentia ſpatioque variant. In pauca minuta horaſve tantum plerumque manent. Nonnunquam, quamvis rarius, aegrotas in dies aliquot exercuerunt. Quibuſdam in exemplis tamdiu manſerunt, ut aegra pro mortua fuerit habita, et revera ſepulchro illata †.

In aliis morbus admodum lenis, in aliis ſigna formidoloſiſſima oriuntur. Aliquando ex intervallis brevibus repetit, alias aegrota valetudine commodiſſima longum per ſpatium fruitur. Si morbus ſit graviſſimus, dolor capitis violentior evadit, aegra doloribus partium corporis diverſarum fixis vexatur; oculi non tantum caligant, ſed aliquando ex toto clauduntur; tinnitus aurium augetur, et ſurditas aliquando accedit.

Omnes quidem functiones animales imminuuntur; animus cauſis leviſſimis perturbatur, et affectibus violentiſſimis, inquietudine, terrore, moeſtitia, et ira movetur. Vi imaginandi praeter conſuetudinem vivida abripi, et notionibus, quas limitibus juſtis ratio nequit circumſcribere, indulgere periclitantur aegrotantes. Memoria parum te-

nax

† Vid. Illuſt. Hoffman. oper. de morbis convulſivis.

nax evadit, et judicium labafcit. Metu mortis conftante afficiuntur, qui eas mutabiles, difficiles, et impatientes efficit. Animus denique adeo varius et mutabilis eft, ut tranquilitate rariffime fruantur.

Ægrotantes, poftquam nonnullis fignorum fupra pofitorum diu laboraverunt, namque omnia eandem nunquam invadunt, in epilepfiam aliquando, furorem uterinum, febremve acutam, incidunt.

Paroxyfmus ructu et murmure ventris plerumque finitur, languorem et gravitatem totius corporis poft fefe relinquens. Pulfus arteriarum, qui ante debiles, parvuli, et abnormes fuerunt, nunc validiores, molliores, et pleniores. Vox redditur. Deinde aliena et etiam obfcoena loquuntur, et nonnunquam delirant. Ægrotantes, nifi in eas delirium invaferit, quae adftantes per paroxyfmum dicunt, plerumque audiunt, et faepe, eo ad finem perducto, reminifcuntur. Oculi rurfus aperiuntur, et facies colorem fibi vividum affumit. Plurimum flatus vel furfum vel deorfum ferri confuevit. Multae ex aegrotantibus, in complures dies poft paroxyfmum, languorem, laffitudinem, vires non parum convulfas, animumque demiffum, queruntur. Quinetiam non paucas infeftat ructus acidus, et nidorem

dorem diffundens. Magnam faucium anguftiam, et refpirationem et deglutitionem difficiles, aliae fentiunt. Menftrua, fi ftatis temporibus provenerunt, plerumque tandem fupprimuntur. Aliquando quantitate immodica effufa peccant. Leucorrhoea plerumque fubeft.

Mulieres magna fenfilitate praeditas, ad affectus animi vehementiores proclives, et innuptas, invadere confuevit, antequam menftrua proveniunt, dum fupprimuntur, vel circa tempus, quo funt ceffatura. Temperamento fanguineae et cholericae motibus convulfivis plurimum objiciuntur; deliquio animi fenfilitate minima praeditae et inertes. Illae fonitum leviffimum, ventum ad eas adfpirantem, vel odorem fragrantem, fine difficultate nequeunt ferre †.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibufcum hyfteria plerumque confundi periclitatur, funt hypochondriafis, epilepfia, et fyncope.

Quantum ad hypochondriafin attinet, antiquiores medici, et multi quidem recentiorum, exiftimaverunt hyfteriam

† Hoff. loc. jam citat.

riam et hypochondriasin eundem esse morbum; illam vero sexui sequiori, hanc virili, esse propriam. Hanc in sententiam ivisse videtur doctus et ingeniosus Sydenhamius; etenim super hac re sequentia memoriae tradidit. 'Et 'quamlibet omnis retro antiquitas symptomata illa, adfectibus hystericis adnascentia, utero semper vitio verterit, si tamen adfectiones hypochondriacas vulgo dictas, 'quas splenis aut viscerum, nescio quorum, obstructioni 'imputamus, vix ovum ovo similius, quam sunt utrobique 'phaenomena, deprehendemus †.'

Idem opinatus esse videtur illustrissimus et jure celeberrimus Whyttius, quo nemo huic argumento attentius accuratiusque studuit. Hunc in modum scribit, 'Their 'symptoms are of so similar a nature, and the hypochon-'driac disease is not more unlike the hysteric than this 'last is often unlike to itself ‡.'

Quanquam nonnulla quidem horum morborum signa sibi invicem simillima sunt; notae tamen utriusque propriae attente consideratae morbos esse diversos clare evidenterque

† Epist. ad D Cole.

‡ On nervous disorders, p. 105.

denterque teſtantur. Exempla non deſunt, ubi viros hyſteria, et mulieres aetate provectiores, hypochondriaſis invaſit. Illa temperamentum ſanguineum, haec melancholicum, ſolet infeſtare.

Signa dyſpepſiae non hyſteriam ſemper comitantur; ſed in hypochondriaſi vix unquam abſunt. Quidam animi affectus, ut moeſtitia, metus mortis ſummus et perpetuus, et ſimilia, in utroque morbo ſemet oſtendunt; ſed in hypochondriaſi multo gravius et conſtantius urgent. Hypochondriacis venter plerumque prominet et diſtenditur, hyſtericis muſculos abdominales ſpaſmi corripiunt, et umbilicum, ſpinam dorſi verſus, adeo ut cavum a parte anteriore relinquant, trahunt. Hyſteria mortales a pubertate ad annum aetatis trigeſimum quintum aut circiter invadere ſolet. Hypochondriaſis, contra, niſi aetate provectiore, vix unquam accedit. Paroxyſmus hyſtericus plerumque ſubito, hypochondriacus tarde, invadit. Illum globus hyſtericus, clavus, uti appellatur, hyſtericus, et affectus canalis alimentarii ſpaſmodici comitantur; in hoc ex toto deſunt. Hyſteriam cauſae externae ſaepe, ſed internae plerumque hypochondriaſin movent. Denique, regio frigida illi prodeſt, huic obeſt. Proximum eſt ut

ſignorum,

ſignorum, unde hyſteria et epilepſia poſſint ſecerni, mentionem injiciamus.

Non raro difficillimum eſt, hoſce duos morbos a ſe invicem rite diſtinguere; quoniam arcte aliquando conjunguntur, et ſumma inter multa eorum ſymptomata ſimilitudo intercedit. Si vero originem morbi et progreſſum accurate examines, pauca, me judice, exempla ſunt, in quibus affectum primarium nequeas reperire. Epilepſia conflictantes ſemper concidunt, et ſenſibus omnigenis privantur; hyſteria vero laborantibus vis animi judiciumque parum imminuuntur. In his deliquium animi ſaepe, in illis rariſſime, accedit. In epilepſia globus hyſtericus, in hyſteria ſpuma ex ore deſtillans, ſemper deeſt.

Ægroti, qui longum per tempus epilepſia laborarunt, ratione poſtea magna ex parte deſtituti evadunt, et per id vitae miſerrimae, quod ſupereſt, fatui manent. Hoc vero in hyſteria non incidit; nam, cum aegrotantes e paroxyſmo emerſerunt, idem mentis, quod ante, acumen ſolent habere.

Quod diſcrimen ſyncopen hyſtericam inter et ſyncopen veram intereſt, id proxime commemorandum. Quantum

ad

ad hoc attinet, in errorem vix incidere possumus. In illa facies colorem rubrum plerumque retinet, et pulsus arteriarum et respiratio, quanquam languescunt, facile percipi possunt. Caeterum, in hac facies pallescit, ictus arteriarum vix percipiendi sunt, et respiratio adeo debilis evadit, ut speculum ori admotum vix ulla nubecula foedet, vel quodlibet levissimum moveat. Sudores frigidi et corporis rigores universi veram syncopen, non hystericam, comitantur. Affectus animi posteriorem facile, priorem rarissime excitant. Syncope hysterica in multas horas saepe perstat, vera longum spatium raro habet, nisi mortem aegro miserando inferat. Denique, hysterica syncope laborantes motus regionis hypogastricae violentos, excretionem urinae limpidae copiosam, borborygmos, et multa alia signa hysteriae propria, habent, quae syncope vera colluctantes nunquam infestare consueverunt.

SEMINIA.

Hujusce morbi seminia sunt mobilitas systematis nervosi, per plenitudinem nimiam debilitatemve facta.

Quae

Quae mulieres habitu corporis debili, laxo, molli, et delicatiore praeditae ſunt, quibus capilli molles, teneri, et colore ſubrubri, eae hyſteriae patent.

Omnia igitur, quae corpus relaxant et debilitant, qualia ſunt inertia, profuſiones ſanguinis nimiae, magna fatigatio, magnae quantitates infuſi theae epotae, et alii liquores debilitantes, moeſtitia nimia et diuturna, mortales ad hyſteriam proclives efficiunt. Quo tempore hic morbus accedit, eo irritabilitas magnopere dominatur. Non ſaepe in pueris offenditur; ſed plerumque tempus pubertatis inter et annum aetatis trigeſimum quintum ſeſe oſtendit. Graves annis nonnunquam invadit. Illuſtris Gregorius aegrotae annos ſexaginta ſex natae meminit, in praelectionibus, quas tradit, clinicis, quae hoc morbo laboravit.

Infantes raro, aut nunquam, infeſtat; ſed irritabilitas ſub pubertatem ſingularis oriri ponitur, quae, cur morbus accedat facilius, in cauſa eſt. Temperamenti ſanguinei magna ex parte proprius eſt, et tempore, quo menſtrua proveniunt, cum debilitas et irritabilitas intenduntur, accedere ſolet. Mobilitas ſyſtematis nervoſi a conditione ſolidorum ſimplicium magna ex parte pendet. Quicquid

igitur

igitur ſolidis ſimplicibus debilitatem adauget, id proclivitatem ad hyſteriam dare poteſt. Plenitudo, opipare vivendo, inertia, evacuationibus ſuppreſſis et ſimilibus facta, ad eam progenerandam non parum confert.

Mulieres ſteriles magis, quam eas quae pueros pariunt, et igitur viduas juniores, frequenter invadit †.

Hoc forſitan incidit, quod evacuationes, quae partum comitantur, deficiunt. Juniores ſaepius, quam illas quibus multum aetatis acceſſit, infeſtat, et eas, cum ſenſilitas imminui incipit, dimittit. Hinc quae ea plurimum laborarunt juvenes, ſenectutem ſumma cum voluptate proſpicere poſſunt, ſe tandem ab ea immunes fore confiſae.

Praeter ſenſilitatem nimiam ſyſtematis nervoſi univerſam, non raro ſubeſt debilitas partium corporis diverſarum inſolita, vel ſenſus praeter naturam vitiatus, qui ut hoc modo conſtitutae ob cauſas, quae ſanas vix ulla ex parte moverent, affectibus violentis objiciantur facit. Exempla memoriae produntur, ubi mulieres, loco honeſto natae, roſam pallidam odorantes, paroxyſmo hyſterico fu-

erunt

† Cullen, Firſt Lines, vol. 3. p. 1460.

erunt correptae, et odorem tamen nicotianae ferre potuerunt *. Aliae in ſyncopen inciderunt, cinnamomo olfacto †; et caſum aegrotantis memorat celebris Boerhaavius, quae conſpectum felis ferre nequibat, quamque effluvia etiam ejus animalis inviſibilia, anxietate, proclivitate ad deliquium animi, et ſudatione affecerunt ‡. Hujus nonnulla exempla ipſe vidi.

Quantum ſtatus ventriculi et inteſtinorum, et nervorum eorum conditio, in iiſdem etiam diverſis temporibus, varient, admirationem noſtram non movere non poteſt.

Boylaeus ingenioſus viri mentionem facit, cui vomitionem graviorem excitavit coffea, quam crocus metallorum, vel alia emetica valentia, et cui aegritudinem intulit odor hujuſce liquoris, dum kuphipolium praeteribat, quanquam ſine ulla noxa, olim eum bibere ſolitus fuerat ‖. Mobilitas nervorum et muſculorum conſuetudine, et in nullis magis, quam in hyſtericis, comparatur et adaugetur.

Proximum

* Whytt on nervous diſorders, p. 123.

† Ibid.

‡ Abr. Kaau Boerhaave impet. faciens Hippocrati dictum, § 406.

‖ Uſefulneſs of exp. philoſ. part 2. p. 260.

Proximum eſt ut ea, quae morbum moveant, enumeremus.

NOXÆ.

Cauſas omnes diverſas, quae hunc morbum excitare poſſunt, et revera aliquando movent, enumerare, parum, me judice, neceſſarium foret, et limites quidem diſſertationis inauguralis excederet. Igitur nihil aliud quam praecipuas earum recenſebo. Ab affectibus animi incipiam. Nihil mutationes corporis magis ſubitas vel mirabiles facit, quam affectus animi violenti, ſive rebus externis, ſive ſenſuum internorum exercitatione, moti. Horum autem principes ſunt, amor, ira, odium, gaudium, magnus dolor, aliique affectus hiſce conſimiles. Quinetiam horrenda vel inſperata oculis objecta hyſteriam ſaepe excitant. Inſuper, notiſſimum eſt, morbum ab aliqua paroxyſmo laborante conſpecta ſaepe oriri. Non raro in cubiculis noſocomii Regii clinicis notavi, una paroxyſmo hyſterico correpta, morbum in multis aliis brevi oriri. Quod forſitan a principio imitationis, quod generi humano inſitum, pendet.

Pechlinus

Pechlinus mulieris generoſae exemplum memoriae tradit, cui, cometa anni 1681 per teleſcopium conſpecto, tantum terroris, ut paucis diebus fato conceſſerit, fuit incuſſum *. Dicitur Verulamium celeberrimum, defectu ſolari viſo, animo linqui ſolitum eſſe †. Quinetiam profeſſor eruditus Gregorius ſe in theatro adfuiſſe teſtatur, cum mulier loco honeſtiſſimo nata, quae animum ad tragoediam, quae agebatur, attenderat, paroxyſmis hyſtericis eo uſque, ut brevi diem obierit ſupremum, ter correpta fuit ‡.

Nonnulli quoque odores, ut moſchi, ſuccini, cinnamomi, &c. proprii, hunc morbum excitant.

Soni ſingulares idem quoque praeſtant. Boylaeus celebris mulierem generoſam memorat, quae, ſono tintinnabuli vel quolibet alio claro audito, in ſyncopen incidere ſolebat, quae a morte vix potuit ſecerni ‖.

Morbum quoque non raro concitant evacuationes ſo-

* Obſerv. med. lib. 3. obſ. 23.

† Ibid.

‡ Prael. clin.

‖ Uſefulneſs of exp. philoſ. part 2. p. 248.

litae ſuppreſſae, ut menſtrua, haemorrhois, lochia, fonticuli, ſetacea, et nonnunquam leucorrhoea. Cum menſes, ira, vel quolibet alio affectu animi motuve violento ſupprimuntur, paroxyſmi graviores plerumque accedunt. Sub tempus potiſſimum, quo menſtrua ſunt proventura, ut ſupra fuit comprehenſum, invadunt, et tum a cauſis levioribus, quam quolibet alio tempore, oriuntur.

Calor externus morbum quoque nonnunquam ei patentibus infert. Quicquid ſyncopen in aliis, in aliis hyſteriam movet. Ægrotantibus, ut cauſam quae morbum moverit confiteantur, perſuaderi rariſſime poteſt.

Nonnulli exiſtimant paroxyſmum cum appetitu venereo non parum conjungi. Hinc Sauvageſius ſpeciem ſub titulo *Hyſteriae libidinoſae* tradidit, ubi dicta et facta aegrotantium laſciva ſunt, et ſigna morbi ad furorem uterinum uſque progrediuntur. Exemplum hujuſce ſpeciei, quod ſubſequitur, dedit.

'Monialem virginem toto corpore cum ſuſpirio pri-
'mum convulſam, dein exiliiſſe, per cameram ſaltatorio
'inceſſu curſitaſſe, laſciva et ad libidinem compoſita car-
'mina ceciniſſe, bilem atram evomuiſſe, ac tandem titil-

'lata

'lata per impudicum tonforem clitoride acceffionem vi-
'ciffe, omnium quae acceffionis tempore acciderant, poft-
'quam ad fe rediit immemorem.'

Haec autem morbi fpecies in regionibus calidioribus faepe, in hac raro, fe oftendit.

Venus nimia hunc morbum aliquando excitat. 'Concubitus rarus,' inquit Celfus, 'corpus excitat, frequens folvit.'

Evacuationes immodicae caufis excitantibus accenferi poffunt, ut profufiones fanguinis immodicae, five ab arte petitae, five fpontaneae, nimia purgatio vel fudatio, &c.; quicquid folida fimplicia denique relaxat, ut calor nimius, balneum calidum, ufus infufi theae, praefertim fi calidius fuerit epotum, immodicus.

CAUSA PROXIMA.

Caufa hujufce morbi et plerorumque aliorum, qui a vitio fyftematis nervofi proficifcuntur, proxima inveftigatu difficillima, fi ex ulla quidem parte poteft illuftrari. Nec

hoc

hoc mirandum, cum notitia, quam habeamus, ſyſtematis nervoſi, etiam ſanitate ſubſtante, limitibus adeo anguſtis coerceatur.

Syſtemate vero univerſo nervoſo, ut in morbis incidit, magnopere perturbato, et in motus abnormes conjecto, quo magis cogitamus, eo magis errare periclitamur, vi imaginandi effraenata abrepti, vel in tenebras, ſi ita loqui liceat, fere viſibiles illapſi.

Igitur, ſignis, quae in definitione tradita morbum deſignant, conſideratis, nihil aliud quam ponere audemus, ab affectu canalis alimentarii ſpaſmodico, a ſtatu certo forſitan partium genitalium proficiſcente, pendere poſſe; cui adjungi videntur motus antiperiſtalticus auctus, et admodum magna ſyſtematis nervoſi irritabilitas.

EVENTUS MORBI.

Neminem fugere poteſt, qui hunc morbum frequenter vidit, eum ſpeciem prae ſeſe formidoloſiorem, quam pleroſque alios, ferre. Raro tamen exitio eſt, niſi apoplexia ſtipatur, quod rarius incidere ſolet.

Si

Si exitum hujus, vel cujuslibet alius morbi, pro certo velis praesagire, seminia causasque excitantes cautus ex-amines oportet. Si aegrota pubertatem nondum attigit, et si morbus symptomaticus est, summa spes est, cur finem ejus felicem exspectes. Si vero aegrotanti multum aetatis accesserit, et si morbus a labe haereditaria profluat, raro aut nunquam depelli potest. Cum morbus quidem diu mansit, frequenter et graviter repetivit, adeo ut vires aegrotae convellantur, raro curationem perfectam et absolutam promittere audemus. Cum a plenitudine pendet, sublatu difficillimus. Si a nimia sanguinis evacuatione proficiscatur, praesertim si eum menorrhagia moverit, curationem aegerrime recipiet.

Matrimonium eum saepe subito et efficaciter tollit; cum vero a desiderio veneris oritur, quod nequit expleri, vix potest sanari. Quo junior denique aegrota, quo recentior morbus, quo valentior constitutio corporea, quo leviores causae, quo mitiora signa, quo minus imminutae sunt vitales et naturales functiones, et quo minus cuilibet alii morbus adjungitur, eo faustior ejus finis sperandus; quoniam periculum erit minus et curatio facilior.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Confilia huic morbo medendi fequuntur:

I. Paroxyfmum ad finem, cum primum fieri poteft, perducere, vel mitem efficere, pro virili conari.

II. Reditum paroxyfmi praevertere.

Quidam opinantur non magnam confilii medendi prioris rationem effe habendam, quoniam paroxyfmus brevi plerumque decedit, et raro multum periculi habet. Caeterum hujus curatio haud dubie naturae non concredenda; quoniam non pauca fuerunt exempla, ubi aegrota, paroxyfmo fubftante, fato conceffit, et quanquam paroxyfmus ad finem pro arbitrio noftro nequit perduci, brevior tamen reddi poteft.

Cum morbum a fpafmo pendere poffe fupra comprehenderimus, ad medicamenta ad fpafmum tollendum accommodata decurrendum eft, quae lingua medicorum *antifpafmodica* appellari confuerunt.

A

A missione sanguinis initium fiat. Quantum hoc remedium spectat, ad id confugere quam maxime cauti debemus; quoniam corpus debilitare solet, et in aliis morbis adhibitum hysteriam nonnunquam movit. Si morbus a nimia plenitudine proficiscatur, non modico ejus usu abstineatur. Doctus sagaxque Homius casum memoriae prodit, ubi aegra, antispasmodicis incassum adhibitis, per sanguinis detractionem restituta †. Si vero morbus, contra, a debilitate pendeat, missio sanguinis, utpote quae plurimum noceret, haud dubie fugienda.

Quae remedia *antispasmodica* hoc in morbo adhibentur, ea sunt, *spiritus aethereus vitriolicus*, *moschus*, *camphora*, *electricitas*, *alkali volatile*, *asa foetida*, *opium*, *hyoscyamus*, *cicuta*, *artemisia*, *valeriana*, *castoreum*, *metus*, *pediluvium*.

De singulis, et ordine quo ea commemoravimus, nonnihil dicemus.

Spiritus aethereus vitriolicus.—Efficacia hujus remedii in hysteria aliisque morbis spasmodicis hodie notissima est. In nosocomio Regio Edinensi successu cum prosperrimo

dari

† Clinical exp. p. 157.

dari ſaepe vidi. Antiquos non latuiſſe videtur. Effectus ejus optimos morbis in ſpaſmodicis ſummis laudibus effert Hoffmannus. Hodie multo magis liberaliter, quam olim, dari conſuevit.

Grahamus, iſte hiſtrionum princeps et Coryphaeus, primus fuit, qui eum doſibus adeo largis praecipere auſus eſt, et cum commodo, quantum diſcere potui, nonnullis in caſibus, non parvo fecit. Non tantum, ut experientia docet, in paroxyſmum epilepticum, quantum in hyſtericum, poteſt. Multi ut ad uſum ejus externum in doloribus capitis, aliarumque corporis partium confugiatur, ſuadent, et hoc modo etiam adhibitus plurimum prodeſt. In eo utendo ſumma cura adhibenda. Alicui vehiculo admiſtus, vel protinus bibendus, vel phiala, quo non evaporetur, invertenda.

Moſchus.—Hoc medicamentum plerumque adeo corrumpitur et vitiatur, antequam ad nos adportatur, ut virtutes ejus antiſpaſmodicae non parum imminuantur. In ſingultu ſaepe prodeſſe repertus eſt; ſed in hyſteria raro praeſcribitur. Homius ingenioſus memoriae prodit, ſe eum in ſex morbis ex toto ſpaſmodicis ſine ullo omnino commodo adhibuiſſe †.

Camphora.

† Clinic. Exper. p. 181.

Camphora.—Effectus hujus medicamenti non adhuc bene noti. Liberaliter adhibitum, somnum, insaniam, vomitionem, purgationem, adauctam urinae excretionem, singultum, convulsiones epilepticas, et mortem, facit †. Virtutes ejus antispasmodicas nonnulli plurimum laudant. Hysteriam singultumque eo sustulit Homius ‡. Hemiplegiam eo depelli, postquam alia medicamenta nihil profuerant, vidi. In exemplis maniae cum fructu nonnunquam adhibetur. Hic vim sedantem exercere videtur.

Electricitas.—Haec hodie in omni fere morbo spasmodico, praesertim in iis quae convulsionibus stipantur, adhibetur. In hysteria saepe plurimum profuit. Choream Sancti Viti ea sanavit doctus De Haen ‖. Quinetiam viros celeberrimos Homium et Gregorium eam eodem in morbo cum pari efficacia adhibere vidi §. Hoc remedio insuper multos morbos convulsivos, et hysteriam ipsam, sustulit doctus et illustris Hopaeus ††. Epilepsiam usu ejus

† Commentar. Bononiens. tom. 4. p. 199.

‡ Clin. Exp. p. 183.

‖ Ratio medendi.

§ Edin. Infirm. Register.

†† Ibid.

removit Lindhoult †. Partington contractiones musculares electricitate quoque sanavit ‡. Denique, si omnia, quae de bonis effectibus, quos electricitas in morbis curandis, qui aliis remediis parere recusaverant, ediderit, in auctoribus medicis reperiunda enumerare vellemus, hanc dissertationis partem nimiam in longitudinem produceremus. Igitur nihil amplius, quam verba poaetae celeberrimi Ovidii proferemus:

Causa latet, vis est notissima.

Alkali volatile.—Hoc saepe prodest naribus per paroxysmum admotum. Plumae semi-ustae eodem consilio, eodemque fructu, saepe adhibentur.

Asa foetida.—Haec est valentissimum 'e gummi foetidis, et unicum fere, quod interne adhibetur. In colicam spasmosque intestinorum, et in asthma quoque, posse expeperientia quotidiana testatur. Ex aliqua simplicium aquarum optime datur. Hoc medicamentum in hysteria plurimum prodest, non tantum ore sumptum, sed etiam sub forma enematum in alvum immissum.

Opium.

† Medical Comment.

‡ Philosophic. Transac. vol. LXVIII.

Opium.—De modo, quo hocce medicamentum agat, inter medicos minime convenit. Alii vim sedantem habere opinantur, alii, contra, stimulantem ei inesse enixe contendunt. Quanquam rationem, qua agat, explicare forsitan perdifficile sit; exempla tamen innumera vires antispasmodicas potentissimas ei non deesse plane evidenterque probant. Sub initium paroxysmi datum, cum saepe tollit saltemve levat. Solutum in alvum immittere saepe prodest. Nimis crebro, nimisve liberaliter non dandum, alioquin desinet juvare. Sensilitatem viresque toti systemati nervoso imminuit; unde non tantum vigor corporis, sed mentis acumen quoque labefactatur. Sydenhamius doctus et candidus, super hoc medicamento disserens, sequentia profert: 'Ita necessarium est opium in hominis periti manu organum, ut sine illo manca sit et claudicet medicina; qui vero eodem instructus fuerit, majora praestabit, quam quis ab uno remedio facile speraverit.'

Hyoscyamus.—Virtutes hujusce medicamenti a nonnullis, praesertim a Dr Stork, qui, quantum noverim, id interne adhibere primus ausus est, laudibus tolluntur. Dr Razoux extractum hyoscyami systemati nervoso esse gratum, dolorem levare, ventriculum corroborare, somnum facere,

re, et vim antiſpaſmodicam potentem habere, contendit †. Whyttius celebris utile eſſe repcrit, et nonnullis in exemplis opio anteponit ‡. Dr Home periculum ejus in multis caſibus, et ſpaſmodicis et haemorrhagicis, ſed ſine ſucceſſu proſpero, fecit ||.

Cicuta.—Effectus hujuſce medicamenti narcotici adeo noti ſunt, ut neminem poſſint latere; multi enim veneno ejus fuerunt extincti. In modum opii ſenſilitatem diminuit. Raro aut nunquam in hyſteria adhibetur. In auxilium tuſſis convulſivae, chronici rheumatiſmi, et aliorum morborum, promptam eſſe, teſtantur Doctores Butter et Home §. Complures quoque caſus memorat Razoux, ubi optimos, poſtquam alia remedia nihil profuerant, effectus edidit, praeſertim in exemplo melancholiae, in aſcite, et ictero ††.

Artemiſia.—Caſus mentionem injicit celebris Home, ubi hyſteriam, quae multos per annos manſerat, et viribus liquoris

† Diſſert. Epiſtol. de Hyoſcyamo, &c.

‡ On nervous diſorders, p. 354.

|| Clinical Experiments, p. 198

§ Butter on Chincough. Home, Praelection.

†† Diſſert. Epiſtolar. de cicuta, &c.

quoris aetherei vitriolici et aſae foetidae non ceſſerat, drachmam pulveris hujuſce medicamenti quater de die in breve ſpatium dando tollebat †.

Valeriana.—Fama hujus e tempore Fabii Columnae, qui ea ſemet epilepſia laborantem reſtituiſſe dicitur, fuit magna, major forſitan, quam meretur, quoniam in pleroſque morbos parum poſſe reperitur. Cum commodo in vertigine nonnunquam adhibetur. Inertem eſſe probare videntur experimenta Homiana, qui multis in exemplis ad eam ſine ullo fructu decurrit ‡.

Caſtoreum.—Hoc medicamentum non aeque frequenter, ac olim, adhibetur. Ut liquori anodyno admiſceatur, vel forma pilularum detur ſuadet Hoffmannus ‖. Ab eo hunc in modum adhibito ſe multum commodi deduxiſſe confitetur. Parum eo, ut antiſpaſmodico, confidere videtur Whyttius; ſed laudanum ſubſtantiae, tincturaeve caſtorei adjunctum, plus prodeſſe ſe reperiſſe notat §.

Timor.

† Clinical exper. p. 196.

‡ Ibid. p. 178.

‖ Loc. jam citat.

§ On nervous diſorders, p. 359.

Timor.—Metus, perturbatio, attentio, et alii animi affectus, motus convulſivos ſpaſmoſque ſaepe ſiſtent, et votis medicorum nonnunquam, aliis remediis fruſtra tentatis, reſpondebunt. Vim cerebri imminuit, circuitum ſanguinis languidiorem efficit, fibras muſculares debilitat, et nimius mortem facit, cujus exempla compluria memoravit illuſtris Hallerus †.

'Mortuus eſt, inquit, eodem die, quo mors ei fuerat 'praeſagita, ut metus eſſet pro morbo; mortuus eſt, cui 'judicium fatale erat pronunciatum; et cui in ſepulchro 'pes eſſet retentus; et qui intuebatur tendines ſibi diſ'ſectos; et qui notas variolarum in ſe ipſe conſpexerat; 'et alii, ex aliis cauſis.'

Menſes nonnunquam ſiſtit ‡. Vim tonicam ſaepe habet, et aliquando in morbos convulſivos multum poteſt. Hujus exemplum inſigne tradit Kaau Boerhaave, ubi metus rite applicatus epilepſiam in noſocomio Haerlemenſi pauperculis deſtinato graviſſimam ſuſtulit ||. Denique, Whyttius illuſtris caſum puellae refert, quae motu maſſeterum

† Element. phyſiolog. tom. 5. p. 585.

‡ Ex terrae motu, Baglivus, p. 537.

|| Impet. faciens Hippoc. dict. § 406.

terum et temporum mufculorum alterno vexabatur, cujus caufa ex toto ignota erat. Morbus remediis multis parere recufabat, donec, ob unum contemptu repudiatum, pater fe eam verberibus affecturum effe minabatur, quod tantum et tam violentum in eam effectum edidit, ut motus convulfivi et maffeterum et temporum mufculorum cefsarent †.

Pediluvium, femicupium, fomenta.—Haec, experientia tefte, in deliquiis animi hyftericis magnopere profuerunt, praefertim cum fubfunt convulfiones. Nervos grato modo afficiendo, eofque forfitan relaxando, agere videntur. Frequenter juvant, cum opium noceret, et, cum vim relaxantem habeant, in teneris et debilibus, ut gravitatem doloris imminuant, tantum adhibenda.

Hanc partem opufculi ad finem non ante perducendam puto, quam medicamenti mentionem feci, quod in quibufdam morbis fpafmodicis cum fucceffu profpero et admodum fubito adhiberi vidi. Hyeme fuperiore, in cubiculis Nofocomii Regii clinicis, mulier curae docti et fagacis Doctoris Gregorii demandabatur, quae fingultu gravi laborabat. Ad multa remedia antifpafmodica diverfa

† On nervous diforders, p. 451.

versa confugit vir celebris; sed sine ullo commodo, donec quatuor uncias *aceti* praecipiebat, quae singultum momento tollebant; nec mulier rursus, dum in nosocomio manebat, corripiebatur †. Ex eo tempore idem medicamentum a viro celebri Dr Hope, et eodem cum successu, tentari vidi. In puero novem annos habente, qui globo hysterico afficiebatur, paroxysmum accedere prohibebat, qui quidem postea repetivit; sed remedium iterum adhibitum eundem omnino effectum, ut ante, edebat ‡. In aliis exemplis tentatum profuit. Ubi signa non sustulit, levavit.

Nonne *acidum vitriolicum* aceto anteponendum, cum vim tonicam habeat, et ventriculo igitur, quo ab aceto plurimum differt, minime noceret?

Sinapismi, *enemata*, et *emetica*, saepe prosunt.

Emetica, ut a nonnullis accepi, si tempore paroxysmi possint devorari, auxilium adferre solent.

Proximum est, ut consilium secundum illustremus, viz.

II. Reditum paroxysmi praevertere.

Duo

† Edin. Infirm. register.

‡ Ibid.

Duo ſunt potiſſimum, quae huic conſilio accommodantur:

I. Vitare aut tollere cauſas excitantes.

II. Imminuere vel corrigere cauſas praediſponentes, quas ſupra diximus pendere a mobilitate ſyſtematis nervoſi, a plenitudine vel debilitate proficiſcente.

Supra comprehendimus praecipuas cauſarum excitantium eſſe ſubitos et violentos animi affectus, rebus externis vel ſenſuum internorum exercitatione motos.

Hanc diſſertationis partem plene, et, ut vellem, exequi plus temporis, quam quod in diſſertatione inaugurali ſcribenda ſolet conſumi, et vires animi majores, quam quibus ſum praeditus, depoſtularet.

Dum relego, ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno;
Me quoque, qui feci, judice, digna lini.

Paucas igitur tantum cauſarum excitantium percurram.

Pauciſſima, me judice, hyſteriam et alios morbos convulſivos, aeque, ac amor deceptus parumve proſper, peri-

clitantur movere. Nec ullud remedium contra amorem hujuſcemodi infelicem aeque efficax, ac viro vel muliere amata frui. Tulpius exemplum juvenis inſigne memorat, qui, virgine quam ſummo amore fuerat proſecutus ei negata, in catalepſin ſubito incidit, adeo ut totum per diem cathedrae eadem in poſitura inſederit, ex toto immotus, animumque ad nihil ſibi circumdatum attendens. Immo corpus univerſum aeque rigidum, ac ſi congelatus fuiſſet, evaſit. Non citius vero ei clara voce nunciatum eſt, ſe mox voti compotem fore, quam e ſomno arctiſſimo quaſi excitatus e ſedili exiluit, et puncto fere convaluit †.

Cum amor, uti Ovidius inquit, quo nemo res amatorias melius novit, 'nullis ſit medicabilis herbis,' ut juvene a Tulpio memorata infeliciores minuſque proſperi victu modico, non opiparo, utantur, exercitationem ſub dio adhibeant, et, ante omnia alia, deſidiam, unam e fontibus amoris praecipuis, fugiant ſuademus. Verſiculos Ovidianos ſequentes pulcherrimos memoria tenere conveniet.

Ubi viſus eris noſtrae medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia prima meis.

Haec.

† Obſervat. med. lib. I. Obſ. 22.

Haec, ut ames, faciunt; haec, ut fecere, tuentur:
Haec sunt jucundi causa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaeque jacent, et sine luce, faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo:
Tam Venus otia amat. Qui finem quaeris amoris
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.

Saepe non sine difficultate summa, aliquando nulla ratione, illud veneris desiderium, quod hunc morbum comitatur, superari potest. Si aegrota fuerit nupta, moris quidem fuit medicorum antiquiorum usum Veneris praescribere, cujus exemplum e Dureto proferendum curabo.

'Ego nuper vocatus sum, media nocte, ad curationem 'mulieris, quae ab hysterica suffocatione laborabat, et 'conciderat quasi mortua: Eam inveni frigidiorem marmore, pulsus erat parvus; maritus aderat, de uxoris 'salute valde sollicitus. Bene est dixi, jussi ut rem cum 'uxore sua haberet; rem habuit, indeque statim convaluit.'

Haec

Haec ratio medendi hodie, cum mores ſunt excultiores, haud dubie repudiaretur, et tantum, ut paroxyſmo occurreret, abeſſet, ut, contra, eundem irritabilitatem foemineam augendo graviorem efficeret. Si unquam adhiberi poteſt, me judice, cum mobilitas a plenitudine pendet, conveniet; namque, mobilitate a debilitate proficiſcente, evidenter planeque noceret.

Cum hic morbus ab aliqua evacuatione ſuppreſſa oritur, eam reducere, et ſigna interim moleſtiſſima levare, conandum. Si evacuatio non ſubito renovari poſſit, ut incidit cum menſtrua ſupprimuntur, in locum ejus ab arte petitam ſufficere conveniret, donec naturalis reſtitui poſſet.

Si vero, contra, hyſteria a nimiis evacuationibus proficiſcitur, eas uſu adſtringentium et aliorum medicamentorum, pro gravitate ſignorum, cohibere pro virili laborandum.

Methodo cauſas excitantes fugiendi tollendique breviter percurſa, tantum ſupereſt, ut rationem ſeminia imminuendi et corrigendi monſtremus.

Seminium autem hujus morbi praecipuum, ut ſupra diximus, eſt nimia ſyſtematis nervoſi mobilitas. Si haec efficaciter poſſet depelli, gravitatem ſignorum, quae hunc morbum comitantur, unde proficiſcuntur, minuere, et pleraque eorum, quae a ſubitis impreſſionibus in animum factis oriuntur, praevertere valeremus. Cum vero haec ſyſtematis nervoſi mobilitas non raro naturalis et ingenita ſit, et a nullo morbo victuve abnormi profluat, curationem perfectam non recipit, et quod unicum fieri poteſt, id eſt, eam imminuere.

Remedia ſequentia huic conſilio optime accommodantur, *regimen idoneum*, *aër purus* et *frigidus*, *exercitatio*, *balneum frigidum*, *oblectationes*, et *medicamenta tonica*.

Regimen idoneum.—Hyſtericae nunquam diu jejunent. Cibus ſatis nutrimenti habeat, et facile concoquatur. Adipoſa caro et condimenta graviora nocent. Quod ſatis tantum ſumatur :

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque, nequit conſiſtere rectum.

Caenae

Caenae graviores fugiendae, cum ventriculus eadem cibi quantitate, in positura horizontali, quam in erecta, facilius opprimatur, cumque alimenti concoctio tardius tempore somni, quam cum vigilatur, procedat. Ad hysteriam proclives nunquam plus, quam facile possunt concoquere, edere debent. Quandocunque ventriculus nimis oneratur, vires ei imminuuntur, nervique turbantur. Cum vero aliquis modice edit, non tantum ventriculus, sed corpus universum, firmatur et reficitur. Si aegrota per intervalla ciborum languorem et debilitatem sentiat, frustum panis et poculum vini cum commodo sumentur. Quanquam vinum nimia quantitate adhibitum corpus infirmum reddat, tonum ventriculi perdat, et animi vires imminuat; modice tamen sumptum ventriculum firmat et concoctionem promovet. Boni vini effectus non antiquos latuisse videntur; namque Celsus inquit, 'Si quis 'vero stomacho laborat, non aquam, sed vinum cali-'dum, bibere jejunus debet †.' Vinum aqua mixtum, dum editur, bibere convenit. Si vinum vero in ventriculo coacescat, et aegrota dyspepsia infestetur, spiritum sacchari vinumve adustum aquae adjunctum sumere praestabit. Quaecunque vero aegrotantes liquorem quemlibet

† De medicina, lib. I. cap. 8.

bet ſpirituoſum aquamque commiſta bibere ſolent, illum ſemper menſurare debent. Alioquin liquorem ſpirituoſum gradatim augere periclitabuntur, quod, pro commodo, ſummam noxam ſecum adducet.

Nihil forſitan conſtitutioni foemineae magis nocuit, vel plus ad morbos nervoſos excitandos contulit, quam quantitas theae, praeſertim valentioris et calidioris, immodica, quae hodie ſorbillari ſolet. Ut infuſum theae igitur modice adhibeatur ſuademus; namque mulieribus uſu ejus ex toto interdicere operam perdere foret; paucae enim monitis adeo ingratis parere ſibi in animum inducere poſſent.

Aër purus et frigidus.—Aër purus frigiduſque, utpote qui corpus firmet validumque efficiat, curioſe quaerendus. Nihil ad corpus humanum relaxandum et debilitandum magis confert, quam aër calidus, praeſertim is, cui calorem impertiti ſunt magni foci in cubiculis arctioribus accenſi. Quae commoda ab aëre frigidiore proficiſcuntur, ea in poemate, quod *Seaſons* inſcribitur, elegantiſſime et ſuaviſſime depingit Thompsonius †.

Cloſe

† Winter.

Close crouds the shining atmosphere, and binds
Our strengthened bodies in its cold embrace,
Constringent, feeds, and animates our blood;
Refines our spirits, through the new-strung nerves,
In swifter sallies darting to the brain;
Where sits the soul, intense, collected, cool,
Bright as the skies, and as the season keen.

Exercitatio.—Haec non tantum in hysteria, sed in omnibus aliis morbis nervosis, tanti momenti est, ut saepe omnibus medicamentis, quae materia medica comprehendat, plus prosit, et sine ejus auxilio quidem pauca medicamenta hoc in morbo auxilium adferent. Hanc summis laudibus effert Sydenhamus. Equitatio ambulationi praestat, quoniam corpus magis concutit, minusque fatigat. Quantum vero ad speciem ejus attinet, ea reliquis anteponenda est, quae illis optime convenit. Navigationem plurimum laudat Gilchristius celebris, et exempla multa, ubi profuit, memorat †. Curationi morborum a vitio systematis nervosi orientium bene quidem accommodari videtur. Loca mutare, et nova oculis frequenter objicere, animum oblectando, moestitiamque depellendo, non parum juvare consuerunt.

Balneum

† On the use of sea voyages.

Balneum frigidum.—Multa exempla facile poſſunt proferri, ubi lavatio frigida debiles firmavit, et malis nervoſis minus opportunos effecit. In uſu ejus et omnium reliquorum medicamentorum diu perſtandum, ſi multum commodi inde ſperamus. Infirmiores non diu in aqua maneant, nec in eam nimis ſaepe deſcendant. Quae tempeſtates lavationem frigidam adhibendi optimae ſunt, eae ſunt ver, aeſtas, et autumnus. Tempus hyemale, ſaltem in hac regione, adeo frigidum, ut, hoc labente, ad eam nequeat tuto decurri.

Oblectationes.—Nihil iis, qui morbis nervoſis patent, utilius eſt, quam animum quietum hilaremque, quantum fieri poteſt, ſervare.

Sunt verba et voces quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, et morbi magnam depellere partem.

Nihil ſyſtemati nervoſo magis obeſt, quam metus, dolor, vel anxietas. Quae omnia igitur caute diligenterque fugienda.

Medicamenta tonica.—Quae remedia hujuſmodi et in hoc et in aliis morbis adhibentur, ea ſunt *foſſilia* vel *ve-*

getabilia. Ex illis praeparata e *ferro* et *cupro* plurimi aeſtimantur.

Pauca medicamenta ventriculum et corpus quidem univerſum aeque, ac ferrum et ex eo praeparata, corroborant. *Limaturas* omnibus aliis praeparatis antepoſuit Sydenhamus. *Tinctura* non raro multum prodeſt; quoniam multi ferrum forma tincturae, haudquaquam ſubſtantia, aſſumere poſſunt. Datum ſubſtantia, perturbationem primarum viarum, praeſertim in debilibus, aliquando facit. Rebus ita ſe habentibus, ut pauculae liquidi laudani guttae, ſub tempus cubitum eundi, capiantur, ſuadet vir clarus modo poſitus. Quae commoda ab *aquis chalybeatis* oriuntur, ea neminem hodie fugiunt. Quanquam portionem ferri admodum exiguam continent, corpus, ut experientia teſtatur, inſigniter corroborant. *Hartfellenſis* et *Pyrmontana* in uſu maxime communi ſunt. Illa ſaporem admodum chalybeatum et aluminoſum habet. Ferro ex toto fere ſaturatur. Virtutes diutius retinet, et ad majorem diſtantiam, quam Pyrmontana, dotibus parum imminutis, portari poteſt.

Nulla e tonicis metallicis majoribus laudibus efferuntur, ſaepiuſve adhibentur, quam *cuprum* varie praeparatum.

tum. Quod praeparatum saepissime adhibetur, id est *cuprum ammoniacum*, quod forma pilularum plerumque datur. Cum stomacho bene sedet, utilissimum medicamentum est. Sub initium parvulis dosibus capi debet; quoniam paucissimi ventriculi multum ejus sine summa noxa, nondum ei assueti, ferre valent. Ex Homianis experimentis apparet, id in quatuor casibus epilepticis, ubi tentatum, non profuisse *. Periculum hujusce medicamenti in hysteria parum prospere fecit celebris Gregorius †.

Flores zinci.—Hoc medicamentum a celebri Gaubio, ut potens antiepilecticum, admodum fuit laudatum. Ex quo a plurimis medicis multum fuit adhibitum. Non multum fructus ab eo in epilepsia deduxit celeberrimus Cullenus ‡. Pro bono antiepileptico, sed non pro aeque potente antihysterico, habet Sagax Homius ‖. Uno in exemplo dosibus admodum largis dedit. Ab uno ad quadraginta usque grana adauxit, et dosin hujusmodi bis die praecepit. Vomitionem aegrotanti nonnunquam excitarunt doses amplissimae §.

Universis

* Clinical exper. p. 205.

† Praelect. clin.

‡ First Lines, vol. 3. p. 221.

‖ Clinical exper. p. 208.

§ Ibid.

Universis tonicis vegetabilibus palmam praeripit *cortex Peruvianus*. Saepe plurimum prodest, cum hysteria a mobilitate, a debilitate proficiscente, pendet. Dr Schoenheider casum hysteriae, quem signa maxime formidulosa comitabantur, et ubi paroxysmus singulis diebus statis temporibus repetebat, cortice Peruviano largis dosibus dato sustulit, postquam antispasmodica potentissima incassum fuerant adhibita †. Hoc medicamentum substantia, tinctura, insuso, decoctove, sumi potest. Si ventriculus aegrotantis non respuat, datum substantia plurimum prodest. Multos aegrotantes hoc medicamentum obolo inclusum facile sumere vidi, qui id alioquin respuebant. Tonum ventriculo conciliat, et generationem acoris praevertit. Denique saepe multum commodi secum adducit, omni fere alio remedio frustra tentato.

· *Amara*, ut *radices gentianae* et *cursutae*, *flores chamaemaeli*, *summitates centaurei minoris*, *cortex aurantiorum* et *folia*, et multa alia, in hysteria saepe adhibita fuerunt; sed effectus eorum nec aeque certi, nec aeque diuturni, ac corticis Peruviani proprii. His aromata cum commodo adjungi consuerunt. Vires autem horum et doses constitutioni


† Act. Societat. Med. Hauniens. vol. 2.

ſtutioni corporeae aegrotantis et conditioni accommodandae. Ut diminuantur, ſi aegrotantem nimis calefaciunt, et aliquae elixiris vitrioli guttae iis adjiciantur, monet Meadius celeberrimus †.

Hoc modo diſſertationem ad finem perduxi. Quam manca et imperfecta ſit, probe novi. Anxius incepi, dubius abſolvi. Nihil vero omnibus ſuis numeris abſolutum a calamo juvenili, parumque experto, ſperandum, praeſertim ſi argumentum exequi et illuſtrare fuerit aggreſſus, cui caliginem denſiſſimam et ſingularem offudiſſe videtur divina voluntas, ſuperbiam humanam increpans, acuminique eorum, quod forſitan nunquam tranſgredi poterunt, objiciens.

† Monita et praecept. Med. p. 109.

FINIS.



INCITABILITATIS ET INCITATIONIS SERIES.

ADVERSA VALETUDO VEL MORBI.		CAUSÆ. NOXÆ.	CAUSÆ. JUSTA.	MORBORUM CURATIO.
Apoplexia. Paralyſis. Peſtis. Febris Malign. Cynanche Typhoides.	Variola confluens. Hydrothorax. Phthiſis. Dyſenteria contagioſa, &c.	Nimia magnorum ſtimulorum vis, ut calor, exercitatio, victus, ſanguinis abundantia, gravis animi adfectus, contagio, et ſimilia.	Indirecta debilitas.	Medendi conſilium eſt incitationem ſuſtentare. Remedia ſunt vehementes ſtimuli, ut electricitas, opium, æther, ſpiritus Gallicus, vinum, moſchus, cortex Peruvianus, ſerpentaria, camphora, juſcula lauta, et ſimilia.
Synocha. Phrenitis. Cynanche inflammat. Variola.	Rubeola. Peripneumonia. Dyſenteria. Mania, &c.	Eædem, ac ſupra dictæ, ſed non ea vi incumbentes, qua indirectam debilitatem creent, ſed majore quam infra.	Aucta vel magna incitatio.	Medendi conſilium incitationem imminuere; quod fit, magnos ſtimulos ſubducendo, exiguis vel deficientibus utendo; ſcilicet, frigido cubiculo, animi tranquillitate, ſanguinis miſſione, alvi purgatione, parco victu, et ſimilibus.
Synochus. Rheumatiſmus. Catarrhus. Scarlatina.	Miliaria. Varicella. Ophthalmia, &c.	Eædem, ac ſupra dictæ, ſed non ea vi incumbentes qua magnam ſthenicam creent, ſed majore quam in ſecunda valetudine.	Aucta minus incitatio.	Hic conſilium incitationem, ita ut ſupra, ſed modice magis, minuere.
A 30° ad 50° in ſerie ſecundæ valetudinis ſpecies jure notatur, quia, niſi in 40°, abſoluta valetudo non contingit: In magna enim ſtimulorum, quotidie incumbentium, varietate; cujuſmodi cibus et potio et adfectuum animi vis, paulo gravius agentia, ſunt, raro medium punctum attingitur, plerumque intra 30° et 50° variat incitatio.				
Febres intermittentes. Colica ſimplex. Dyſpepſia. Hypocondriaſis.	Hyſteria. Epiſtaxis. Menorrhœa. Amenorrhœa, &c.	Hæ noxæ ſunt ſtimulorum, ſecundæ valetudini neceſſariorum, ſubductio, et poteſtatum, quæ, licet ſtimulent, non ſatis id faciunt, abuſus.	Imminuta incitatio vel recta debilitas.	Medendi conſilium eſt incitationem augere: remedia vehementes ſtimuli, quales ad indirectam debilitatem medendam adhibentur, hoc tantum differentes, quod a parva eorum hic vi incipiendum, et paulatim ad majorem adſcendendum.
Rheumatalgia. Cholera. Epilepſia. Chorea.	Rachitis. Hæmoptyſis. Scrophula, &c.	Sunt ſtimuli deficientes ſoli, ut frigus, parcus cibus, nec ex bona materia, metus, et ſimilia.	Imminuta incitatio vel recta debilitas.	Conſilium hic idem, ac modo dictum, ſed cum cautiore ſtimulorum uſu.
Typhus. Colica Pictonum. Podagra. Tetanus.	Scorbutus. Diabetes. Hydrops. Icterus, &c.	Sunt ſtimuli deficientes ſoli.	Imminuta incitatio vel recta debilitas.	Idem etiam conſilium, ſcilicet augere incitationem, et iiſdem quoque ſtimulis, ſed etiam cautius adminiſtrandis.

JOANNI BRUNONI, M. D.

HANC TABULAM, UT SUÆ IN PRÆCEPTOREM REVERENTIÆ MONUMENTUM DICAT ILLIUS AMICUS ET DISCIPULUS,

SAMUEL LYNCH.